



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Ivbilæo
Ecclesiastico**

Bellegambe, François

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Q. 2. An quando Confessio persicitur post tempus Jubilæi possit
Confessarius absolvere tunc à reservatis, commissis post tempus Jubilæi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-42093

Jubilæi nolueris illam petere; ut expressè tradit Sanchez *c. illo* 54. n. 40. Lessius *sup. Portel v. Indulgentia pro Jubilæo*, n. 18. Barth. à S. Fausto q. 86. Gobat etiam n. 309. &c.

Q. 2. An, quando Confessio perficitur post tempus Jubilæi, possit Confessarius absolvere tunc à reservatis, commissis post tempus Jubilæi?

R. Negat Lugo *disp. 20. n. 134.* cum Sanctarello, Alphonso de Leone, &c. quibus, tanquam aliquantò probabilius sentientibus adhæret Gobat n. 268. Quia licet propter causam jam inceptam prorogetur jurisdictio; prorogatur tamen illa sola jurisdictio, quæ prius concessa fuerat, & ad eadem facienda: prior autem jurisdictio fuerat ad absolvendum à peccatis & censuris contractis ante aut intra tempus Jubilæi, & non ad aliud. Atque istud certum sibi videri, dicit Georgius de Rhodes §. 6.

Affirmat tamen Bartholomæus à S. Fausto *tr. de Jubil. apud Dianam p. 3.*

N

17.4.

tr. 4. R. 147. qui ejus sententiam probabilem putat, ut & ipsi Sanctarellus & Alph. de Leone. Quia, inquit Bartholomæus, per illam dilationem intendit Pontifex inducere Pœnitentes ad lucrandum Jubilæum. Sed qui de consensu v. g. Confessarii confessionem distulit, non potest lucrari Jubilæum, quin prius ab illis absolvatur, Ergo &c. Deinde cùm Jubilæum sit Principis beneficium, nulli præjudiciale, sine aliquo textu & validâ ratione non est restringendum.

Et hanc sententiam tenent etiam Bossius & alii apud eundem Dianam p. 5. tr. 12. R. 27. & p. 11. tr. 2. R. 54. & 55. Et Lugo ipse n. 138. favet non parùm huic sententiæ; quòd nempe fuerit quædam prorogatio Jubilæi facta à Confessario differente absolutionem in aliud tempus: unde negativam suam sententiam fundat maximè in tenore Bullæ Jubilæi ab Urbano VIII. concessi anno 1636. in quâ non videbatur concessa commutatio vel prorogatio

Con

Confessionis & Communionis, ut in aliis Bullis. Utitur autem illâ Bullâ, quia omnium novissima respectu ipsius scribentis, ut habet *disp. 27. n. 104.*

Q. 3. An possint etiam tunc commutari vota, à tali Pœnitente post Jubilæi tempus emissa?

Respondet, consequenter ad modò dicta, Affirmativè Diana *p. 5. tr. 12. R. 27.* cum Angelo Bossio. Affirmat etiam Pourié *p. 2. c. 3. n. 2.* Quia respectu illius Pœnitentis prorogatum est Jubilæum, seu facultas obtinendi favores vi Jubilæi concessos.

Q. 4. Quid, si Titius tempore Jubilæi non fuerit confessus, eò quòd non videbatur sibi conscius ullius peccati mortalis, implevit tamen cætera in Jubilæo præscripta; An postea à memor peccati reservati, poterit ab eo absolvi?

R. Retentâ sententiâ admodû probabili, docente in Jubilæo non requiri confessionem nisi mortalium, (de quo *sect. 7. q. 1.*) dicendum subinde est, inquit Tho. Sanchez *de Matrim. l. 8. disp. 15.*